

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 5428

**Auteur(s)** : official de l'archidiacre du Cotentin Guido de Harcourt [autre]

**Bénéficiaire(s)** : Coutances (chapitre cathédral)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1296, 14 avril

**Lieu d'émission** : Montebourg

**Action juridique** : autre

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Raoul Pinel, de la paroisse de Hauteville-Bocage, vend au chapitre de Coutances pour quarante-trois sous tournois une rente de deux boisseaux de froment, mesure de Hauteville-Bocage, un pain et une poule.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Fontanel Julie, *Le cartulaire du chapitre cathédral de Coutances*, Saint-Lô, Archives départementales de la Manche (Sources inédites sur l'histoire du département de la Manche ; 1), 2003, n° 193, p. 324-325.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, officialis curie Guidonis de Haricuria, archidiaconi de Costentino in ecclesia Constantiensi, salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod in nostra presentia et in jure coram nobis apud Montisburgum constitutus, Radulphus Pinel, de Alta Villa, confessus est se vendidisse ad finem et in perpetuum dimisisse viris venerabilibus et discretis capitulo Constantiensi duos bussellos frumenti ad mensuram de Alta Villa, unum panem duorum denariorum tur. et unam gallinam annui redditus ; videlicet unum bussellum frumenti super Andream Cornart unacum homagio dicti Andree, in quibus frumento et homagio idem Andreas dicto Radulpho tenebatur ratione unius pecie terre site apud le Cacheur juxta terram Thome Goubert, butantis ex uno buto ad Curtas Runchas et ad queminum de Cacheur ex alio ; unum bussellum frumenti, dictos panem et gallinam super Johannem Langloiz, in quibus redditibus dictus Johannes eidem Radulpho tenebatur per homagium ratione unius pecie terre site apud Fossam de Coudreio juxta terram Thome Belin, butantis ex uno buto super terram Jacobi de Mara, pro quadraginta solidis tribus tur. super quibus a dicto capitulo dicto Radulpho extitit plenarie satisfactum, prout confessus est in judicio coram nobis ; tenenda, habenda et jure hereditario possidenda dicto capitulo libere, pacifice et quiete, absque aliqua reclamacione dicti Radulphi suorumque heredum, et juravit in dictis terris, redditibus, liberare, garantizare, furnire et defendere erga omnes vel alibi in sua hereditate propria excambiare valore ad valorem nisi secundum consuetudinem Normannie retrahantur. Et juravit idem Radulphus, tactis sacrosanctis evangeliis, quod premissa adimplebit, garantizabit, furniet et defendet et quod contra premissa per se vel per alium quoquomodo non veniet in futurum, volens et concedens a nobis nulla alia monitione premissa excommunicari, tanquam reus perjurii puniri, inscalari omnemque ad audientiam tam in foro ecclesiastico quam eciam seculari sibi denegari et quod teneatur solvere dicto capitulo sexaginta solidos tur. nomine pene commisse ab eodem apposite, si contra premissa vel aliquod premissorum per se vel per alium veniret aut venire niteretur quoquomodo in futurum. Ad que obligat heredes suos et omnia bona sua mobilia et immobilia, presencia et futura, renunciando super hoc sub juramento ab eodem prestito omni exceptioni doli mali, privilegio crucis et fori, rei non

vendite, precii non justis, non habitis, non receptis et aliis exceptionibus universis. Actum anno Domini M° CC° nonagesimo sexto, die sabbati post Misericordia Domini, cum Roberto de Groville, actornato dicti capituli.